

rum rerum. Non sufficit dicere nominari subiectum, & intelligi adiunctum: sed oportet rem ipsam etiam nominari. Nomino civitatē, & intelligo cives, per metonymiam. Sic nominas signatum (corpus) & intelligis signum. Quodnam illud? Aliud in cœna corporis signis non est, præter panem. Quare nominato corpore intelligitur panis.

70. Observa hic, esse signum corporis Christi, esse adiunctum panis sacramentale, ex consequenti (primario enim est instrumentum exhibens) non autem adiunctum corporis. Vnde rursus exspirat metonymia Calvinistica. Et hinc exponi debent & recte possunt appellationes veterum (quas pro confirmanda metonymia sua imperite producunt Calviniani) quando externa elementa vocantur signa, symbola, typi, figurae, signacula, monumeta, species, &c. corporis & sanguinis Christi. Nam illa est descriptio officii secundarii symbolorum sacramentalium. Primarium est, ut inserviant distribuendo corpori & sanguini Christi: Et hoc describitur in institutione sacrae cœnae. Secundarium (sive per consequens) esse externa velamenta, species, figuras, signa, typos, &c. corporis & sanguinis Christi. Nam primarium fundatur in unione sacramentali. Vbi igitur ille sacer panis est, cui sacramentaliter unitum est Christi corpus, ibi certo colligitur etiam esse corpus Christi. Ac proinde hoc modo rectissime dicuntur symbola illa externa figurae, & typi, & species corporis & sanguinis Christi. Quia nimirum corpus & sanguis Christi in cœna non dantur immediatè, sed quasi velata istis symbolis. Vide Disput. 1. thes. 68. Vnde apparet quàm ineptè colligatur ex istis veterum appellationibus absentia corporis Christi à pane & cœna. Contrarium enim certissime inde concluditur.

71. Ac proinde vocantur signa exhibitiva: quæ ideo & propter illud signant sive significant, quia exhibent. Nisi enim exhiberent, non recte dicerentur signa sacramentalia N. Testamenti: sed forent releganda ad Testamentum vetus, ut alibi diximus, disput. de divisione & discrimine sacramentorum th. 18. & seqq.

72. Deniq; nullum potest ex ullo classico auctore sacro vel profano